





1. Anton f. Pauli, s. Veritas  
Christianæ Religionis,  
Halle, 1718.
2. ————— diff. de Insigni  
Harmonia Fidei que justi-  
ficat et Fidei quatenus  
justificare dicitur, Halle, 1723
3. Barth f. ioh. Henr. f. diff.  
de Docta in Theologia Ignoran-  
tia, Argentorati, 1717.
4. Baumgarther f. Sigism. jac. f.  
diff. de Limitibus in concili-  
anda Rationi Doctrina  
revelata observandis, Halle  
1751.

I. N. J.  
EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
REMISSIONE  
FRATRIS LÆSI AD  
ECCLESIAM PER CHRI-  
STUM FACTA,

*Matth. XIIIX. n. 17.*

Cujus

PENSUM POSTERIUS  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
PRÆSIDE  
VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo  
atque Excellentissimo  
DN. JOH. REINARTO  
BRECHTIO,

SS. Theol. Doctore, ejusdem Prof. Publ. Ordinario  
longe Celeberrimo, Ecclesiaste Libero Meritissimo, atque  
p. t. Spectabili Facult. Theol. DECANO,

DN. Patrono, Fautore ac Præceptore suo omni pietatis  
cultu in aeternum devenerando, colendo,

PUBLICO Examini subjicit

M. JOH. GEORG. KALLENBERGIUS,  
Argentoratensis.

Die 23. Aprilis A. M. DCC. XVI. Horis locoꝝ consuetis.

ARGENTORATI, LITERIS JOHANNIS PASTORII.

**ILLUSTRI COLLEGIO  
DOMINORUM  
DISPENSATORUM  
LIBERALITATIS  
OTTONIANÆ:  
VIRIS**

PRUDENTIA CONSILIORUM, NOBILITATE GENERIS, MAGNIFICENTIA MUNERUM, MAXIME REVERENDA DIGNITATE, CONSULENDI GRAVITATE, EXPERIENTIA MEDENDI, ALIARUMQUE FUNCTIONUM SPLENDORE CLARISSIMIS,

*DNN. Mecenatisbus, Patronisque meis, in eternum  
omni honoris cultu devenerandis,*

**DISSERTATIONEM HANC THEOLOGICAM  
humillime offert**

**TANTORUM NOMINUM**

*devotissimus Cliens*

**M. JOH. GEORGIUS KALLENBERGIUS, Arg.  
Respondens.**



I. N. J.

## §. XVI.

Uamvis autem hæc ita se habeant, & pro  
 diverso considerandi modo Ecclesia à no-  
 bis modo Visibilis, modo Invisibilis sta-  
 tuatur; tamen Salvatori nostro heic non  
 tam de Invisibili, quam Visibili, sermo-  
 nem esse, vel exinde dispalefecit, quod hæc  
 Ecclesia commendetur tanquam adeunda & audienda; quo-  
 modo autem adiri vel audiri poterit, nisi ex suis *reuerentia* sit  
 cognoscibilis, quod talis sit, qualem se venditat. Cum au-  
 tem hæc ipsa visibilis Ecclesia, si vel subjecta, vel locum  
 vel etiam tempus spectes, sit vel Universalis, sive Catholi-  
 ca, vel Particularis sive Topica; & ad illam omnes isti, qui  
 uno tempore ex diversis populis per universum terrarum  
 orbem ad Ecclesias consortium & beneficiorum Christi par-  
 ticipationem per verbum convocantur, pertineant, & dicantur  
 universalis Ecclesia, docente sic Augus. Lib. II. contra  
 Liter. Petil. Cap. CIII. Ecclesia Dei vivi est columnæ & firma-  
 mentum veritatis, toto orbe terrarum diffusa propter Evangelium,  
 quod prædicatur, sicut dicit Apostolus, in omni creatura,  
 quæ sub celo est. In hac enim vita tota fidelium multitudo est  
 una Ecclesia vinculo fidei & charitatis, post hanc vitam una  
 erit consortio aeternitatis, uti loquitur idem Augus. in Enchirid. ad Laurent. Cap. LVI. Hæc autem, scil. Particularis,  
 cœtus sit non omnium, sed aliquorum fidelium, in loco  
 certo ad salutem participandam vocatorum, & in commu-  
 nione spirituali interna persistentium. Non tamen illam,

D

sed

sed hanc indigitari vel ipsius Bellarmini judicio certum est,  
*cum non possit fieri, ut peccantes deferantur ad congregacionem  
 omnium fidelium, Lib. III. de V. D. Cap. V. S. 2. aut ad fi-  
 delium universitatem Lib. I. de P. R. Cap. VI. S. 17.* Illa Ec-  
 clesia hic intelligitur, quæ adiri potest in omnibus casibus,  
 in qua & qui defert, & qui defertur, vivit; at illa particu-  
 laris est: quæ & membrum est Ecclesiæ Catholicæ, & pro-  
 pter fidei Catholicæ communionem nomine quoque & ti-  
 tulo Catholicæ jure suo gaudet. Ecclesia, inquam, particu-  
 laris qualibet; id quod praxi Apostolica firmatur: quod e-  
 nim ius Ecclesiæ Corinthiacæ delitul Gentium Apostolus,  
 idem etiam Ecclesiæ Ephesinæ competuisse ex ejusdem prio-  
 re ad Timotheum Epistola Cap. V. v. 20. colligitur. Idem  
 in primitiva quoque Ecclesia, cum magistratus, adhuc genti-  
 lis esset, nec delinquentes Christiani absque damno Ecclesiæ  
 ad ipsum deferri possent, valde usitatum fuisse *Harmonia  
 Evangelica Chemnitio-Lysieriana* memorat Cap. XCII. p. 1006.  
 ut peccatores, juxta hanc doctrinam Christi, post unam aut  
 alteram correptionem, denunciarentur toti Ecclesiæ alicujus  
 loci, i. e. Christianis legitime cum suo Pastore congregatis,  
 ibique si impoenitentes persisterent, cum omnium consensu  
 & approbatione ab Episcopo excommunicarentur.

## §. XVII.

Interim cum unaquæque Ecclesia particularis distin-  
 git gaudeat ordinibus, præcipue autem ex Pastoriibus & Au-  
 ditoribus consistat, non inepte queritur, utrum hæc remis-  
 sio Christi facta sit ad universum particularis Ecclesiæ ce-  
 tum, an vero ad certum ejusdem statum, & quidem Ecclesiasti-  
 cum specialiter sic dictum? ad hunc restringenda esse verba  
 Christi censet Stapletonus, quando Relect. Controv. de Princip. fid.  
 p. 2. confidenter afferit: *Ecclesiam hic sumi pro Ecclesiæ principi-  
 bus pag.* autem 211. clarius mentem suam aperit, per vocem  
*Ecclesiæ, non multitudinem in se, sed virtute intelli-*gi* contendens,*  
*i. e. caput multitudinis, in quo ipsa continetur; & paucis interje-  
 citis, gradationem Christi justam esse ait, ut correptio fraterna in Ec-  
 clesia definat, i. e. in præpositis Ecclesiæ: pag. autem seq. non nisi  
 de*

de uno Ecclesiæ præposito intelligi illa verba posse denuo repetit.  
 Adstipulatur eidem Bellarminus Lib. III. de V. D. Cap. V. §. 2.  
 & Lib. I. de R.P. Cap. VI. §. 17. item Cornelius à Lapide  
 in h. l. ita commentatus; dic Ecclesiæ propriæ, i. e. Pastori  
 proprio, qui Ecclesiæ Thæ præfis: quod in seqq. uberiori deducit,  
 provocans simul ad autoritatem D. Chrysostomi, Theo-  
 phylacti & Euthymij, per Ecclesiam accipientium Ecclesiæ Pa-  
 stores & Prælatos, qui Ecclesiam seu seorsim, seu in Synodo  
 & Concilio repræsentant. Similiter Maldonatus pag. 383.  
 in h. l. reprehensa prius eorum sententia, qui per Ecclesiam  
 quidem intelligent Christianam, sed omnem Christianorum mul-  
 titudinem, quod absurdum dicit, cum non possit omni multitū-  
 tini dici, & si posset, nihil juvaret, quid enim imperiti artifices,  
 quid femina facerent? cum illi Ecclesia dicatur, cui etiam dictum  
 est, quæcumque ligaveritis &c. at illud ad Apostolos pertinebat,  
 non ad multititudinem &c. tandem subjicit: perpetuus uetus Ec-  
 clesiæ docet, heusmodi homines non ad totam multitudinem,  
 sed ad eos, qui ligandi & solvendi potestatem habent esse deferen-  
 dos, qui, quia Ecclesiæ gubernatores sunt, & totius Ecclesiæ  
 personam repræsentant, Ecclesia vocantur. Sebastianus tamen  
 Barradius Comment. in b. l. postquam recitaverat, quod Tho-  
 mas exposuerit: dic Ecclesiæ i. e. toti multitudini: hæc sub-  
 jungit: significatur autem multitudo seu Ecclesia cum suo Pa-  
 store: addita ratione, quod olim in primæva Ecclesia ad Pastorem  
 & Ecclesiam crimina referri solita, colligatur ex Paulo &c. Un-  
 de jam suo tempore D. Hieronymus, quem secutus est Vene-  
 rabilis Beda, hunc locum ita interpretatus est, ut per Ecclesi-  
 am non unam solum personam, sed multos, quibus dicendum sit,  
 intellectos voluerit, ut detestationi peccatorum incorrigibilem ha-  
 berent, & qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis. Ac  
 respexisse quidem Beatus Pater videtur ad verba D. Pauli  
 2. Corinth. II. v. 6. ubi ἐπιτίπτει τῆς ἵππου τῆς πλευρῶν corre-  
 ptionis à pluribus factæ mentionem injicit, eamque publice  
 nec sine exoptato successu institutam suæ ulteriori redargu-  
 tioni tamquam non amplius necessariae opponit. Quin  
 imo ex hoc ipso loco, manifestum esse potest, quo sensu &

illa 1. Corinth. V.v. 4. & 5. incestuoso ab Apostolo denunciata excommunicatio, & traditio in potestatem Satanæ accipienda sit, nimirum, quod D. Paulus sententia sua, quam ipse corpore quidem absens, praesens tamen spiritu tulerat, executionem non uni solummodo personæ, sed toti Ecclesiæ Corinthiacæ in nomine Jesu Christi congregatae commendaverit, nec absque communii Ecclesiæ totius consensu irrogatam reo cupiverit. Quemadmodum & antea Hierosolymis in casu non quidem ex omni parte simili, non tamen plane dissimili, scandali scilicet non quidem dati, sed accepti sibi contigisse noverat, ubi Jacobus Apostolus, Episcopus Hierosolymitanus cum Presbyteris rem ad totum fidelium cœtum referendum esse Paulo indicaverant. Actori cap. XXI. v. 22. Et hunc morem in Primitiva etiam Ecclesia diu observatum fuisse Magnus noster Chemnitius memorat Ex. C. T. pag. II. de Confessione §. Quarta. Quando, inquiens, privatam fraternalm correptionem frater recusabat audire, tunc per denunciationem deferebantur crimina ad Ecclesiam, qua reos vel publica correptione vel excommunicatione compellebat ad Exomologesin. Quod ipsum etiam Georg. Calixtus in Concord. Lib. I. Cap. XIII. p. m. 243. ex Tertulliani Apolog. de Conventibus Christianorum (et Editionis Aldianæ Cap. XXXI. de Disciplina Christianorum p. m. 37.) confirmat; denunciations videlicet in primitiva Ecclesia toti fidelium congregationi factas, praesertim vero senioribus & Præsidibus ejus, quod quidem postea, cum paulatim optimus ille status Ecclesiæ remitteret, & pleraque ob instabilis multitudinis tumultus ex arbitrio vulgi agi non possent, unicum obtinuit, sine horum consensu, & principio quidem sine totius fidelis cœtus approbatione excommunicatio facta non est.

## §. XVIII.

Non ergo per Ecclesiam h. l. solus ordo Ecclesiasticus, nedum unicum ejusdem individuum, tanquam caput supereminenter in universum Ecclesiæ corpus potestate gaudens, sed totus Ecclesiæ, utut particularis, cœtus hic intellige-

gendus est. Nec obstat huic sententiae i.) illa gradatio Christi, quam juxta §. præced. stabilendæ sua thesi Stapletonus adhibuerat, quin potius hanc evidenter subvertit. Nam Ecclesiæ vox nomen collectivum est, multitudinem designans; uti supra jam notatum fuit, & ex nostro loco aperte confirmatur: quicquid enim gradatione ab Uno & Tribus ad multo plures facta opponitur altiori ascensu Uni & Tribus, illud nonnisi collectionem multo plurium significat. Atqui Ecclesia gradatione ab Uno & Tribus ad multo plures facta opponitur altiori ascensu Uni & Tribus. E. Ecclesia nonnisi collectionem multo plurium significat. Major est ex Terminis nota. Minorem confirmat loci nostri contextus. confer. Scherzer. *System. Theol.* pag. 668. Nec 2.) obstat, quod Bellarminus & Maldonatus objiciunt, illam Ecclesiam intelligi, cui etiam dictum est, quæcumque ligavitis &c. at illud ad Apostolos pertinuisse, non ad omnem multitudinem &c. Resp. enim a) ad Apostolos illorumque in officio prædicationis Evangelicæ successores pertinuisse, & adhuc pertinere, nulli nos inficiamus, quippe quos clavis cœlorum & potestate remittendi in nomine Christi & retinendi peccata à Domino suo donatos fuisse, tum ex Math. XVI. v. 19. tum ex Joh. XX. v. 22. seq. docemur. Ab hoc tamen jure Clavium, ad quod potestas quoque & auctoritas excommunicandi spectat, reliquam Ecclesiæ multitudinem exclusam esse, nullo idoneo argumento demonstrari potest. Ipsemet enim Bellarminus Lib. I. de Clericis Cap. VII. fatetur, Petram in Persona Ecclesiæ accepisse claves; at una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnum Dei agnoscente eod. Lib. III. de Ecclesia Cap. XVII. circa f. Sed nec Concilium Prælatorum seu Episcoporum est Ecclesia, quia ad Ecclesiam pertinent etiam Auditores; qui essentiale ejus definitionem ingrediuntur. Non ergo soli Petro & Episcopis claves sunt datae, sed universo Ecclesiæ corpori. Quemadmodum enim, (loquimur cum B. Gerardo, de Minister. Eccles. §. 87.) Petrus confessus est Christum in persona Ecclesiæ, non eo duntaxat sensu,

quia confessio illa cessit in totius Ecclesiae commodum, ut  
 quidem Cardinalis interpretatur, sed etiam, quia Petro con-  
 fitente ipsa quoque Ecclesia confitebatur: ita quoque Pe-  
 tro in persona Ecclesiae datae sunt claves regni cœlorum,  
 non solum quia in commodum & utilitatem totius Ecclesiae  
 ipsi datae sunt, sed etiam, quia Ecclesia eas in Persona Petri  
 accepit, ut usum earum ipsa exerceat: unde non male *Johan.*  
*Perus in Cap. XVI. Matth.* Ecclesia, inquit, *habet claves, ut*  
*Domina ac sponsa,* Petrus non ut Dominus, sed ut minister.  
 Distinguendum tamen existimamus inter jus ipsum & juris  
 exercitium. Jus ipsum est penes Ecclesiam, tanquam spon-  
 fain, ac *בְּנֵי יִשְׂרָאֵל* habitricem domus, quæ dividit spolia  
*Psalm. LXIX. v. 13. Habet*, inquit DN. D. Dannhauerus  
 noster Hodos. Phœn. II. pag. 157. Ecclesia jus clavium &  
 censuræ, (qua invita aut inficia res tanta suscipi non debet,  
 cuius universæ interest, publica exempla publicis exemplis  
 redargui, ne ira divina in omnes exardescat, & peccata mi-  
 noris ponderentur admissa: juris autem exercitium & actus  
 penes Ecclesiam ministros seu superiores seu inferiores, per  
 quos non tamen tanquam per gubernatores, qui titulus Scri-  
 pturæ Sacræ ignotus est, Ecclesia jus clavium sibi à sposo  
 demandatarum ex æquo & ordinarie exequitur, tanquam  
 personas ad id legitime vocatas; quamvis extraordinarie &  
 in casu necessitatis unumquodlibet verum Ecclesiae mem-  
 brum idem jus habeat, eoque ad gloriam Dei & proximi sa-  
 lutem uti possit. ♂ Imperitos artifices considerari vel qua  
 tales, vel qua sunt membra totius corporis i. e. Ecclesiae:  
 non illo, sed hoc respectu de jure ipsius corporis partici-  
 piant, si non immediate, saltem mediate, mediante scilicet  
 corpore, cuius membra sunt, & à quo nullo jure secludi  
 possunt. Nec ipsorum imperitia vel simplicitas huic juri  
 quicquam derogare vel potest, vel debet. Cum enim æque  
 ac cætera Ecclesiae membra in Baptismo Spiritu gratiæ & pre-  
 cum, Spiritu sapientiæ, cognitionis, & consilij donati sint,  
 cuius illuminatione gratiosa ex verbo Dei capitibusque do-  
 ctrinæ Christianæ, officij sui Christiani leges didicerint, quin  
 & illi

& illi pro mensura gratiæ ipsis concessæ inter bonum & malum discernere, & quid agendum quoque tempore, quidve omissendum sit, judicare possint, nullum est dubium. Fœminis autem, licet & que ac Viri Ecclesiæ membra sint, & ab Exercitio vera Religionis ac pietatis tum publico, tum privato removeri nequeant, jus tamen publici de rebus atque controversiis in Ecclesia subnatis suffragij ex ordinatione divina per D. Apostolum Paulum 1. Corinth. cap. XIV. v. 34. 1. Tim. II. v. 12. abrogatum esse non abnuimus. Nec 3.) obstat D. Chrysostomi, Euthymij ac Theophylacti interpretationem, Ecclesiam ad Prælatum seu Prælatos Ecclesiæ restringentium; præterquam enim quod auctoritati auctoritatem, Hieronymi videlicet ac Bedæ opponere possimus; Chrysostomum, quem reliqui duo sequuntur, cum exclusione cæterorum Ecclesiæ statuum locutum esse, nondum evictum est, quin imo, cum res tales alicubi primum indicande veniant, ad Ecclesiæ & bonum ordinem in Ecclesia observandum respexisse, atque ad eos, quibus in Ecclesia docendi, informandi redarguendique munus commissum est, ceu in prima instantia negotium remisisse, haud vano augurio conjicitur.

## §. XIX.

Quæ ipsa Ecclesiæ Christianæ modo memorata, cum non semper permittat, ut promiscua cœtus Christiani plebs in quibusunque seu fidei seu morum controversiis convocetur, ne loco decentis ordinis cuncta in detestabilem confusionem degenerent, ideo evitandi majoris scandali ergo, Ecclesiam Repræsentativam potissimum sermone Christi & indigitari & fundari non inviti largiuntur nostrates Theologi, ita enim ad h. l. B. D. Aegid. Hunn. commentatur: *devolve rem totam ad cognitionem Ecclesiæ, aut certe eorum, qui tanquam nobiliora membra Ecclesiam repræsentant.* Et in Examine C. V. Lib. III. Bellarm. de verbo Dei scripto: *potuit is, inquit, qui offensus erat, dicere Ecclesiæ, i. e. ordinariis verbi iniurias, vel etiam aliis piis hominibus eas injurias conqueri, qui etiam in contracto cœtu Ecclesiam repræsentant.* Eadem difficultas

plina

plina est Incomparabilis Dannhaueri nostri, Hodos. pag. 174.  
 scribentis, Representatur tota visibilis Ecclesia in Concilio iusto  
 ac legitimo, quod totius Ecclesiae quandam quasi ideam exhibet &  
 compendium facit; qualia hic in genere fundamentum suum  
 habere affirmat, & quæ congregari debent in nomine Christi,  
 si justa sint, exemplo Concilij Hierosolymitani I. Aucto.  
**XV. 6.** Nervose Catechismus noster ad quæstionem, Wer  
 hat Gewalt jemand zu bannen? Respondet: die Christliche  
 Kirch samt ihren verordneten Eltesten und Kirchendienern.  
 Tales archiores cœtus Ecclesiaz representativi communiter  
 vocantur Concilia, Synodi, Kirchen-Versammlungen. Quæ  
 sunt vel Generalia, Universalia & Oecumenica, ad quæ cele-  
 branda ex omnibus, vel quam plurimis Orbis Christiani  
 partibus viri docti & pii evocantur; cuiusmodi fuere Con-  
 cilium Nicenum I. sub Constantino M. Constantinopolita-  
 num I. sub Theodosio M. Ephesinum I. sub Theodosio ju-  
 niore, & Chalcedonense sub Marciano Impp. habita; vel To-  
 pica seu Particularia, eaque vel Nationalia, vel Provincialia;  
 quibus succenturiantur Collegia Ecclesiastica minoræ, ut  
 sunt Consistoria, Conventus Ecclesiastici & Presbyterales,  
 qui quasi domestici sunt cuiuslibet cœtus particularis. Nu-  
 libi horum seu jus præsentia, seu jus examinis & suffragij  
 species, Laici excludendi; quemadmodum id non solum  
 Praxi Apostolica Aucto. **XV. 22. 23.** & exemplo Idiotæ in  
 Concilio Niceno I. Sophistam quendam eruditio[n]is opinione  
 præsumidum convincentis, vid. Sozom. Histor. Eccl. Lib. I. C.  
 XVII. sed & judicio firmatur Nicolai Papæ Dislinct. XCVI. C.  
 Ubinam, ita loquentis: ubinam legiſtis Imperatores, antecesso-  
 res vestros Synodalibus conventibus interfuisse? nisi forte in  
 quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ universalis est: quæ  
 omnium communis: quæ non solum ad Clericos: verum etiam ad  
 Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos. Nec etiam  
 Magistratus Politicus, (quem gerere Christianos non dede-  
 cere contra furiosa Anabaptistarum deliria graviter contendit  
 Aug. nostra Conf. Art. XVI. p. 14. Apol. A. C. p. 156. Cat.

Maj.

Maj. p. 547. F. C. p. 624. 827. eundemque, si Christianus fuerit, in obortis inter Ecclesiam membra litibus illæsa conscientia à fratribus adiri posse, non negat Apostolus 1. Cor. VI. 1. seqq. quamvis per amicabilem potius compositionem, & fratrum fidelium intercessionem, quam per judicium Magistratus ~~et~~ lites illas dirimendas censeat,) jure seu convocandi Concilia, seu præsidendi in Conciliis privari potest; quippe quo jure non solum pii Principes ac Reges populi Israëlitici sine ulla Pontificum V. T. contradictione olim gavisi atque usi sunt; sed & Imperatores Christiani, Constantinus M. in Concil. Niceno juxta Euseb. de vita Constant. L. III. C. VI. Theodosius M. in Concil. Constantinop. referentibus Socrate Histor. Eccl. L. V. C. IIX. & Sozomeno L. VII. C. VII. Theodosius junior in Concil. Ephesino, testante eod. Socrate L. VII. C. XXXIII. Marcianus & Valentinianus II. in Concil. Chalcedon. docente Evagrio Hist. Eccl. L. II. C. II. & IV. idem juris exercuerunt.

## S. XX.

Sufficiat hæc de Objecto Personalí, i. e. Ecclesia, cui causa offensionis seu privatæ seu publicæ ex mandato & voluntate Christi secundum certos ab ipso præscriptos gradus est commendanda, paulo fusiſ differuisse; pergendum quoque V. est ad Finem, cuius gratia Ecclesiam dicendum sit. Ille vel proximus est ac immediatus, vel remotus & mediatus. Ille absolvitur causæ cognitione, & dijudicatione. Dicendum est Ecclesiæ: Ergo illius est audire; in eum enim finem ipsi dicitur, ut audiat: audire autem, ut cognoscat; cognoscat nimirum statum Controversiæ, & scandali proximo dati, tum ratione doctrinæ, tum ratione morum & vitæ: cognoscat, inquam, ut etiam dijudicet. Patet hoc partim ex ipso Christi effato, jubentis, ut si quis non audiat Ecclesiam, pro Ethnico & Publicano habeatur: audire itaque illa prior debet, ac audiendo cognoscere causam, ut ea cognita judicium ferre atque obsequium postulare possit. Patet hoc partim ex collatione 1. Cor. VI. 1. seqq. ubi judicium sanctis Ecclesiæ membris, in unum scil. congregatis, tribuitur: Ju-

E dicip

dicium itaque inter rem & rem, totumque in primis controversiarum fidei judicium ordinarium Ecclesiae commendatum est. Judicium, inquam, atque arbitrium non magistriale, absolutum, supremum, atque irrefragabile, quo standum sit simpliciter, quomodo cunque etiam statuerit; sed ministeriale, restrictum, subordinatum supremo judici Spir. S. loquenti in S. Literis, adeoque interpretativum, discretivum ac decisivum ex oraculis Propheticis & Apostolicis, juxta quæ, tanquam Regulam unice infallibilem, Ecclesia examen instituit, de verbi divini sensu, consequentiis ex eodem derivatis, & dogmatum veritate & falsitate disputando judicat, sine dominio fidei definit 2. Cor. I. v. ult. erroris convincit, imonet, arguit, anterior fugit, arcet. Dannh. Hodos. Phœnon. II. pag. 156. seq.

## S. XXI.

Remotus Finis & mediatus est fratris errantis vel Lucrum vel Divortium. *Lucrum* juxta ¶. 15. si nimis regule Ecclesiae vocem meliora & saniora docentem audiat, eique obsequatur. *Lucrum*, inquam, tanquam ovis peritura, nisi hæc correctio intercedat; vel jam perditæ; juxta ¶. 12. 13. adeoque non perditio aut diffamatio, multo minus tyrannica in conscientias dominatio, sed conscientiarum θλεψ, confusio, convictio, Exomologesis, conversio, errorum à fana doctrina discretio, eorundemque depositio, ad fidem Ecclesiae reducio, παραδειγμα, morum emendatio, cum parte offensæ reconciliatio, vulnerum conscientia sanatio, disciplina Christianæ conservatio, scandalorum sublatio, membrorum Ecclesiae oinosouia, ipsiusque Ecclesiae salus æterna, conf. Dannh. Hodos. p. 167 seq. item L. C. P. X. p. 298. Nec ab iudit Barradius in h. l. ex Patribus finem hujus ad Ecclesiam delationis esse afferens correptionem & castigationem publicam; Hieronymum enim, supra jam §. 17. allegatis verbis, docere, jam multis dicendum esse, ut detestationi eum habeant, & qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis. Et Glossam Interlinearem rō Dic Ecclesiae interpretari, ut objurgatio plurimorum eum corrigat. Thomamque; Dic Ecclesiae i. e. toti multitudini

*ut confundatur, ut qui noluit sine confusione corripi, eum confusione corripiatur.*

## §. XXII.

*Divortium*, ab Ecclesia scil. corporis, si obsequium de-  
negetur. Sit tibi, inquit Salvator noster, velut Ethnicus, &  
Publicanus: ἐγώ τοι ὀστεού ὁ ἔθνος, καὶ ὁ τελόνης. Respici hac  
phrasim ad consuetudinem Judæorum, nemini Interpretum  
dubium est; observavit id quoque Maldonatus in h. l. &  
sensum esse ait, eos qui Ecclesia iudicio non obediunt, non aliter,  
quam si Ethnici essent, esse vitandos. Etenim quo censu Gen-  
tiles omnes habitu fuerint apud populum Judaicum non so-  
lum tempore Christi, verum jam anterioribus seculis, ex to-  
ta fere V.T. Historia manifestum est. Nam quoniam per Sacra-  
mentum Circumcisionis ab omnibus aliis universi terrarum  
Orbis populis divinitus discreti ac segregati, inque peculium  
ex omnibus populis à Deo assumpti, atque peculari eaque  
longe sanctissima religione à reliquis omnibus gentibus di-  
stincti fuerant Israëlitæ Exod. XIX. 5. 6. omnibus populis  
ἀποιδοτιμένοις abalienatis ab ipsorum politia Ephes. II. 12.  
hinc usque adeo gentilium defugerunt commercia, ut non  
solum ex ipso quidem divino iussu Deut. cap. VII. 2. seq. nul-  
lum ipsis inter se & in terra sua religionis Idololatriæ exer-  
citum concederent, nulla cum ipsis connubia contraherent,  
nec vel Ammonitas, vel Moabitas in congregationem Jeho-  
væ admitterent, Deut. XXIII. 3. quin imo tanquam incir-  
cumcisos plane detestarentur I. Sam. XVII. 36. XXXI. 4.  
Eiusque moris tam superstitione retinentes fuerunt Judæi, ut  
deinde tempore Christi, licet Gentilium, Romanorum scil.  
Imperium agnoscerre cogerentur, nihilominus piaculo duce-  
rent, cum Ethnico aliquo, tanquam homine immundo, con-  
fusse, exemplo Petri Act. X. 28. & cum Act. XXI. 29. Tro-  
phimum Ephesium in templo Hierosolymitano conspice-  
rent, & à Paulo introductum crederent, quam maxime huic  
succensuerint, quasi templum sanctissimum per hominis gen-  
tilis temerariam introductionem profanasset. Nec meliore  
sorte inter Judæos utebantur τελῶναι: de quibus ita Pracla-

issimus DN. M. Georgius Fridericus Heupelius Notter,  
 Græcarum Literarum Præceptor, & Collegarum Gymnasij  
 Nostratis Antesignanus meritissimus in Annotationibus ad  
 Marcum Evang. p. 29. *Qui*, inquit, in Evangelii vocantur *τελῶναι*, vulgo Latine dicuntur *Publicani*: melius vero Latine  
 Portatores dici *Suicerus* in *Thesrao Eccles.* docet. Erant au-  
 tem illi, qui certa pecunia summa à Romanis emerent *vestigalia*,  
 quorum redditus deinde ipsi capiebant. Constitutum erat cer-  
 tum *vestigia* Luc. III. 13. illi vero plus exigebant, quam dece-  
 bat, quod innuit *Zacchaeus* Luc. XIX. 8. dicens, *sé id quadruplum reddere quo alios defraudarit*. Hinc in publico omnium  
 odio erant, adeo ut inter profanos recenserentur; idcirco si  
 pessimi homines nominandi erant, ipse Christus *τελῶνας* nominat,  
 ut Matth. V. 46. 47. XIX. 17. Et notat Vir Eruditissimus,  
*Inter vitarum infamium nomina etiam à Polluce Onom.* Lib.  
 VII. C. 31. *τελῶνα* referri. Ab horum *τελῶνων* ergo, tanquam  
 qui fraterno nomine semet indignos reddiderint, confortio  
 & convictu immane quantum! Judæi abhorrebant, ut &  
 Christo Marc. II. 16. indignantur, quod cum Publicanis &  
 peccatoribus ederit & biberit, sc. juxta traditionem veterum  
 excommunicatis, & sic Traditiones veterum non observaret.  
 conf. Luc. XV. 1. quin imo vix sacris interessè ipsis licebat, &  
*μαρτυροῦσεν* solummodo, è longinquò intueri in eadem permette-  
 batur. Luc. XIX. 13.

## §. XXIII.

Eodem itaque censu, quo apud Judæos veniebant olim  
 Ethnici & Publicani, apud Christianos quoque secundum es-  
 fatum Christi habendi sunt homines nulli admonitioni sive  
 privatæ sive publicæ parentes; scil. pro hominibus impiis,  
 qui ad regnum Dei non pertineant. Sed cui tales reputandi  
 sunt? num illi & quidem soli, qui Iesus est, & qui causam  
 ad Ecclesiam detulit? uti quidem *Ligfooto Hor. Hebr. p. 194.*  
 videtur ex verbis Christi, *ἴτωσοι*, sit tibi, sive, tu habeto:  
 sed quo minus huic sententiæ afflentiamur, scopus Christi ef-  
 ficit. Hic enim non eum solum in finem deferri controver-  
 siam obortam ad Ecclesiam jubet, ut frater Iesus intelligere  
 possit, quid ipsis privatim faciendum sit, sed ut Ecclesiæ ju-  
 dici-

dicium percipiat, & ex illius ore cognoscat, quo numero à singulis Ecclesiæ membris censendus sit, qui sanioribus consiliis obstreperet. Hinc merito suo à D. Calvio Confid. Arminian. Cap. XXIV. p. 586. vapulant Arminiani, quod, ut potestatem Ecclesiæ in censura & disciplina Ecclesiastica dubiam reddant, inter alia etiam de loco Matth. LXXX. 17. sit tibi &c. quæstionem moveant: ubi Ecclesiæ, qua tali, nihil tribui contendunt, *Non enim Ecclesiæ, inquietes, jubetur peccatorum contumacem aut impenitentem censere pro Ethnico & Publicano, sed is, cui cum eo res fuit.* Sed committunt falaciam compositionis. Unusquisque enim in Ecclesia habere quidem talem pro Ethnico & publicano tenetur, sed prævia Ecclesiæ censura, ad quam post reliquos admonitionum gradus ordine descendit: falsum ergo est, nihil hic Ecclesiæ tribui. Disertissima enim habetur dispositio: si illos (duos vel tres, quos asciveris) non audiverit, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audiverit, sit tibi, post Ecclesiæ judicium, & juxta illud, ultimum enim judicium post reliquos admonitionum gradus hic defertur Ecclesiæ, velut Ethnicus vel Publicanus. Alioqui si privatus quisque pro suo arbitrio fratrem pro Ethnico vel publicano habere posset, citra judicium Ecclesiæ, innumeræ orirentur scissiones, & excommunicatione deferretur cuilibet privato, novissimaque censura, ea que gravissima, ubi cœteri gradus admonitionum non proficiunt, arbitrio cuiusvis privati committeretur, quod non minus absorum, quam huic functioni Christi contrarium. Judicio ergo ipsius Ecclesiæ secundum verbum Dei determinantis, homo talis pro Ethnico & Publicano reputandus est. Ipsaque adeo Ecclesia judicio declarativo talem prius ab interiori Christianorum societate, & spiritualium Ecclesiæ bonorum communione secludat, ipsique damnationem æternam denunciet, certo ipsi eventuram, nisi respuerit, quam ab unoquoque Ecclesiæ membro externo confortio devitetur.

## S. XXIV.

Et in hac Optimi Salvatoris nostri Regula Excommunicationis Ecclesiastica potestatem fundari non duntaxat Do-

Dores Romano-Catholici operose contendunt; Johannes enim  
 Gerson Academie Parisiensis olim Cancellarius Considerat. IV.  
 de potestate Eccles. Fundatur hoc loco, inquit, potestas Ecclesiastica  
 juridica excommunicandi vel interdicendi ab Ecclesiasticis sa-  
 cramentis & communione fidelium, rebelles & inobedientes Ec-  
 clesia: sicut usus est Apostolus, & idem hortatus est, ad Titum  
 III. scribens: haereticum hominem post primam & secundam cor-  
 reptionem devita: & simile dixit I. Cor. V. 11. Si quis fra-  
 ter nominatur inter vos &c. Sequitur, cum huiusmodi nec ci-  
 bum sumere. Fundatur rursus absque omni calunnia ponibili  
 in hoc texto plenitudo potestatis gladij spiritualis & executio ejus  
 in Ecclesia super quemlibet Christianum, qui est frater noster.  
 Denique si non haberet Ecclesia talē potestatem & executio-  
 nem, frustra dixisset Christus, dic Ecclesia, quod potuisset im-  
 pune non audiri contra illud, quod sequitur: si Ecclesia non  
 audierit, sit tibi &c. Fundatur etiam in hoc Textu nedum po-  
 testas exercendi, sed potestas diffiniendi, determinandi, statuendi,  
 decernendi, constitueri praecepta, leges & Canones: procedendi  
 denique contra non obedientes, usque ad sententiam excommuni-  
 cationis inclusivę. Sed nec Augst. Confess. Doctores refragan-  
 tur. Instar omnium sit B. D. Dannhauerus noster qui Ho-  
 dos. p. 165. seqq. Axxū, inquit, & summa vis sita est in ex-  
 communicatione, non declarativa tantum; sed & (1. efficaciter  
 ligativa ac inclusiva in seram ac compedes reatus Matth. XXII.  
 13. . . 2.) traditiva in potestatem Satanæ permisam ac preci-  
 bus non impeditam . . . Satanæ vero tradi dicitur, qui ab Ec-  
 clesia ejicitur. 3.) exclusiva 2. Thessal. III. 14. à libera ac pro-  
 priore societate, unde contagium vel irritatio timeri posset, ut pu-  
 blicano ἀμαρτωλῷ ethnicoque anathemati devoto par habeatur,  
 ne pars sincera trahatur; an etiam à fraterna admonitione &  
 publica verbi auditione? minime sane conf. 2. Thess. III. 15.  
 4) graduali, minori primum, uerbiq[ue] ab officio patrimonorum,  
 sede in Ecclesia ordinaria, sacræ mensæ communione, ac si in pec-  
 cato moriatur, expunctio e diptychis & albo fidelium, una cum  
 sepultura extra cemiterium: majori deinde à nuptiis & con-  
 versatione civili I. Cor. V. 11. 2. Thess. III. 14. denique ma-

*¶ imo quæ Maranatha I. Cor. XVI. 22. qua hujusmodi anathema adventui Christi terribili ac judiciali committitur: & sic cum homo extreme deferatus purgari nolit, purgatur ab eo Ecclesia per exterminium.*

## §. XXV.

Fluit hinc, quod Christus intendit obligatio ad obsequium Ecclesiaz præstandum, ut scil. Ethnici & Publicani loco talis habeatur, non solum à fratre immediate lafo, sed & ab omnibus Ecclesiaz membris: Utut vero Ecclesiaz circa Excommunicationis jus & exercitium, auctoritatem magnam & terribilem esse ultro largiamur, illam tamen, uti Stapletonus in Triplic. pag. 31. operose contendere satagit, in testimonio quoque de Scripturaz divinitate promulgato, ut propter illud credi debeat hanc esse Canonicam, absolutam atque omnino irrefragabilem esse, propter quam Scripturis S. credendum sit, ex his Salvatoris optimi verbis nos quidem elicere nondum potuimus; quin potius eandem valde restrixtam, & à judicio Spiritus S. in Scriptura Canonica loquentis plane suspensam esse, cui si illa tanquam voci judicis supremi conformiter judicet, utique audienda ipsa sit; sin minus, nec ad ipsius decreta attendendum sit, etiam si delatum vel milles condemnaverit, dirisque devoverit, præter ea, quæ supra dicta sunt, ex ipsis textus sacri circumstantibus liquidum est. Ecclesia enim de scandalis in gremio suo exortis judicium latura congregari debet in nomine Christi, i. e. cum seria devo- taque nominis Christi sponsi sui invocatione, & secundum præscriptum hujus Domini sui unici, secundum hoc si quid vel determinaverit vel decreverit, vel ligaverit, vel solverit, illud ratum quoque habebitur in celis. Facilis hinc collectio est: Q. judicium ratum demum habetur in celis, si in nomine Christi, i. e. secundum verbum Ipsius in scripturis Canonicis revelatum, pronunciatur, illius autoritas non est absoluta, sed restringita & subordinata. Atqui Excommunicatio Ecclesiastica est judicium, quod tum demum ratum habetur in celis, quando in nomine Christi, i. e. secundum verbum ejus in scripturis Canonicis revelatum pronunciatur. E. ejus Autoritas non est

est absoluta, sed restricta & subordinata. Huc accedit, quod D. Paulus Eph. II. 20. diserte docet, cives Ecclesia Christiana superadificatos esse fundamento Apostolorum & Prophetarum, ubi Jesus Christus lapis angularis est ; & Galatas suos C.I. 8. 9. sub anathematis fulmine ad Evangelium, quod ipse prædicaverat, adstringit, quemadmodum & olim D. Jesaias Propheta C. IX. 20. auditores suos ad legem & testimonium alligaverat ; ex quibus porro ita concludere licet : N. cœtus, cuius cives, præcipue autem Doctores, superadificati sunt fundamento Apostolorum & Prophetarum, ubi Jesus Christus lapis angularis est, & qui sub anathematis fulmine ad certum aliquod verbum adstricti sunt, est absoluta auctoritas. Atqui Ecclesia, etiam universalis, nedum particularis, est talis cœtus. E. Præterea de Ecclesia particulari, quæ adiri potest, sermonem esse jam supra §. 16. ostensum fuit ; at illam, in primis in quæstionibus facti & officio clavium fallibilem esse, apud omnes in confessu est; vid. Bellarm. L. IV. de P. R. C. II. §. 3. qua fronte itaque ad cœcam ipsius obedientiam alligaremur ? Potest itaque aliquis judicio, sed erroneo, Ecclesiæ particularis, vel etiam representativæ, tanquam hæticus aut impius anathemati subjici, & ab externo Ecclesiæ visibilis commercio expelli, qui tamen judicio, Spiritus S. ab interno veræ & invisibilis Ecclesiæ consortio minime se jenitus est, sed genuinum ejusdem membrum est, & permanet, & jure suo ab omnibus sinceris Ecclesiæ membris pro tali agnoscendus & reputandus est.

## §. XXVI.

Quod si itaque sensum præsentis dicti brevissimis verbis exprimere velimus ; hic erit : Tu, quisquis es eorum, qui in me credunt, qui in scando aliquo graviori seu doctrina, seu morum, à Fratre Tuo spirituali, quicunque ille sit, offendus es, si fraterna reconciliatione per amicam offensionis factæ aut injuriæ illatæ redargutionem & correctionem privatam frustra tentata, alterum correctionis fraternæ gradum juxta præscriptum meum per testium duorum aut trium interpositionem gratis adhibueris, nec dum ulla ratione decenti fra-

fratrem Tuum lucrari Tibi potes, Ecclesiam seu congregatiō-  
nem illam fidelium, cuius vos ambo secundum externam fa-  
crorum communionem membra estis, & cui ego tanquam  
sponsa mea claves regni cœlorum, & potestatem ligandi &  
solvendi à peccatis juxta verbum meum concreddi, adito, &  
ab Ipsi ore adversus vulnera conscientiæ Tuæ & fratris offendit  
remedia expectato, & si illa deprehensa insanabili ejus-  
dem malitia, ipsum juxta potestatem sibi à me concessam ex-  
terminio dignum censuerit, tu eodem loco ipsum habeto,  
nec, exceptis Christianæ humanitatis officiis, & precibus pro  
ipsius salute, ullo arctiori ipsum consortio digneris, sed quemad-  
modum inter Judæos haftenus usitatum fuisse nosti, non  
fecus ac Ethnicum aut Publicanum, i.e. Ecclesiæ ac bonorum  
morum hostem devites, usque dum sanioribus Ecclesiæ mo-  
nitis admissis, per seriam penitentiam ad Ecclesiam redeat,  
inque finum ejusdem recipiatur.

## §. XXVII.

Intelligere ex illis, quæ haftenus dicta sunt, licebit, an  
ex hoc præcepto Christi Salvatoris nostri per justam & bonam  
consequentiam deducatur, vel etiam deduci possit, incon-  
cussa Ecclesiæ visibilis perpetuitas, vel absoluta in rebus fi-  
dei indefectibilitas? Nos, quod ad prius attinet, quemadmo-  
dum cuiuslibet particularis Ecclesiæ visibilitatem aut agno-  
scibilitatem ex *recteſtus suis*, in eamque Dominum no-  
strum digitum quasi exertum intendisse', supra jam §. 16.  
adstruximus; ita Ecclesiæ universalis verum genuinum atque  
indivisum attributum esse perpetuam visibilitatem, ean-  
demque sermone Christi insinuari, videre nondum potuimus.  
Nec enim congruit vel scopo dicentes, cui animus erat, Chri-  
stianis certas leges, certamque methodum præscribere, quo-  
usque in corripiendo fratre, & exercenda disciplina Ecclesi-  
astica progredi ipsis liceret, quod etiam non tam ex visibili-  
tate, quam auctoritate Ecclesiæ, non quidem illimitata, sed li-  
mitibus verbi divini circumscripta arcessere ipsi placebat: vel  
rei ipsi, de qua sermo est; quid enim, quæſo, visibilitas Ec-  
clesiæ universalis ad componendas obortas inter Ecclesiæ par-

ticularis membra discordias vel controversias conferat, cum judicium inter rem & rem Ecclesie committatur, non qua visi- deri potest, sed qua est Ecclesia Dei, & verbum Dei, ligandi que & solvendi potestatem habet. Ut ergo rem B. L. planiorem reddamus, haec observanda esse ducimus. 1.) Quando de Ecclesia visibilitate vel invisibilitate sermo fit, tum Ecclesiam considerari non in se, ac ratione sua essentiae, & essentialium attributorum, nec duplificem statui Ecclesiam, quarum una alteri opponatur; hoc enim officeret Ecclesia unitati in symbolo Apostolico praedicata, sed spectari Ecclesiam ratione accidentium, & respectu diversi considerandi modi, salva illa unitate sua: diverso enim respectu una eademque Ecclesia visibilis & invisibilis dici potest; visibilis ratione societatis externae: quæ in professione fidei, & usu sacramentorum consistit, & statu modo florente, modo presso utitur; invisibilis autem ratione societatis internæ, veraque fidei & donorum spiritus communione. Nec 2.) quare, an detur Ecclesia visibilis? sed an illa semper sit visibilis, ita ut non sit Ecclesia, nisi sit visibilis, & an oporteat eam esse semper conspicuam, ut est Res publica Venetorum & Regnum Galliarum? Nec aliter 3.) ipsam Scripturam S. de Ecclesia vera loqui. Divus enim a) Apostolus Paulus Rom. IX. 6. distinguit inter verum Israël i. e. veram Ecclesiam Catholicam, & inter eos, qui quidem in externa societate Ecclesia visibilis vivunt, sed non pertinent ad verum Israël. E. Datur Ecclesia invisibilis. b) Articulus de Ecclesia est Articulus fidei, adeoque non inter videnda, & oculis sensibusque externis palpanda, sed credenda referri debere; cum fides sit ἡπεὶ μὴ βλέπομεν, eorum quæ non apparent. E. agnoscenda est aliqua visibilis Ecclesia, fidei objectum, de qua certo dici possit: Ego credo Ecclesiam; uti bene monet B. D. Dannhauer. Hodos. S. p. IIII. 4.) Extra quidem Ecclesiam non esse salutem. At extra Ecclesiam visibilem est salus ei, qui e. g. in Turcia captivus vere fidelis, item infanti inter hereticos nato ac baptizato, qui cito morte denascitur. Uterque sane est extra visibilem Ecclesiam Catholicam cœcum, licet animo ille, hic jure

jure ad illum pertineat; eademque est ratio injuste excommunicati. Igitur est aliqua Ecclesia, quæ in cernendi sensum non incurrit, intra quam est, qui hujusmodi est. Dannh. l. c. p. 112. 5.) Ecclesiam veram ita se habere, ut fides modo per publicam sanæ doctrinæ professionem verbo divino analoggam omnibus pateat, A&t. II. 44. modo intus lateat, solique Deo cordium scrutatori cognita sit. 2. Tim. II. 19. præser-tim quando in desertis errare, & in speluncis cavernisque terræ se abscondere cogitur. Hebr. XI. 38. & publico religio-nis exercitio prohibetur. 1. Reg. XIX. 18. 6.) Ecclesiam Ca-tholicam atque veram esse corpus capiti homogeneum: at Caput Ecclesiæ esse invisibile Petrus docet I. Epist. I. 8. E. & ipsam Ecclesiam in sensu maxime proprio acceptam invisibilem esse oportet. 7.) Ne unum quidem locum ex S. Lite-ris proferri posse, in quo nomen Ecclesiæ tribuatur congrega-tionis invisibili, μέτα λαοῦ αὐτηναι esse; cum nomen Ecclesiæ modo proprie ac specificie, modo improprie ac generice su-matur; & illo quidem sensu semper denotet invisibilem sanctorum, & vere credentium coctum; hoc vero visibilem quo-que cœtum, cui mali etiam admixti. 8.) Formosam quidem appellari Ecclesiam Pf. XLV. 14. sed intrinsecus, extrinsecus enim eadem nigra est. Cant. I. 5. 6. 9.) Comparari quoque monti conspicuo Esai. II. 2. Dan. II. 35. 44. Mich. IV. 1. at hoc fieri tum propter Apostolorum conspicua miracula, tum propter firmitatem; cum interim montes quoque nebulis & nivibus tegi possint, & quamvis exteriora montium con-spiciantur, interiora nihilominus lateant.

## §. XXVIII.

Alterum quod concernit, absolutam nimirum Ecclesiæ visibilis indefectibilitatem seu immunitatem ab erroribus in fide: illud quidem 1.) extra omnem controversiam positum esse largimur, per remissionem hanc discipulorum in scanda-lis doctrinæ & morum ad Ecclesiam à Christo factam, suam Ecclesiæ visibili veræ stabilitam esse auctoritatem in definien-dis controversiis fidei & morum, cum potestate clavium, illi tamen vi verborum Christi simul annexum esse irrevoca-

bile atque perpetuum absolutæ inerrabilitatis in rebus fidei  
privilegium, sat firmis roboratum argumentis nusquam ha-  
cenus conspeximus. Annexuit quidem Salvator Optimus  
v. 19. Cap. XLIX. Matth. Christiano cœtu promissionem  
gratiosa sua præsentia, sed sub expressa conditione congrega-  
tionis in Nomine suo. Ubi ergo cœtus aliquis non con-  
gregatus est in nomine Christi i. e. juxta verbum Ipsius, ibi  
præsentia Christi gratiosa & ab erroribus præmunitrix fructu  
expectabitur. Est tunc Christus tanquam Caput corpori suo,  
Ecclesia, præsens omnibus diebus usque ad consumationem  
seculi Matth. XXIIX. v. ult. At illa præsentia non visibilis,  
sed invisibilis est ; à Christi vero præsentia invisibili ad in-  
definibilitatem Ecclesia visibilis N. V. C. & promissio hæc  
æque reliquis & Apostolis & Ecclesiis imo singulis Christianis  
facta est Eph. III. 17. exinde tamen singulos Christianos æ-  
æritas esse in fide concludere non licet. Evidem 2.) Eccle-  
siam Catholicam, quæ Christi corpus, sponsa, regnum est, nul-  
lo unquam tempore vel defecisse, vel deficere posse vi fir-  
missimorum promissorum Matth. XVI. 18. vi itidem rela-  
tionis Christi capitii ad corpus, sponsi ad sponsam, Regis ad  
Regnum, omnino dicendum est; sublato enim uno relato-  
rum, tollitur & alterum ; promissiones tamen Ecclesia N.T.  
factas non absolutas, sed conditionatas esse deprehendimus,  
Joh. IIX. 31. XV. 14. Hebr. III. 6. Nec aliud evincunt 3.)  
prædictiones de tempore, quo totius visibilis Ecclesia Ministe-  
rium publicum futurum sit corruptum, invalescentibus scil.  
erroribus publicis in toto orbe, præsertim sub magna illa a-  
postasia, qua Anti-Christus sessurus dicitur in templo Dei  
h. e. Ecclesia Matth. XXIV. 24. Luc. XLIX. 8. 2. Theff. II. 3.  
1. Tim. IV. 1. seqq. 2. Tim. IV. 3. seq. 2. Petr. II. 7. Apoc.  
XII. 13. 17. 18. Sub qua tam gravissima Ecclesia sit exti-  
tura persecutio, ut auctore Bellarmino T. I. Controv. L. III.  
de R. P. C. VII. cessaturæ sint omnes publicæ religionis ce-  
remoniæ & sacrificia. conf. quoque c. XIV. §. Denique, tem-  
pore &c. Apostasiam ipsam Anti-Christi Cornelius à Lapide  
in 2. Theff. c. II. num. 30. ita describit, quod nimur Anti-  
Chri-


Christus non tantum Christum, idola & Deos gentium, sed & Deum verum ejusque cultum, quantum in se est, è mundo ablaturus sit. Huc accedunt 4.) graves illæ admonitiones, quibus Ecclesiæ particulares sedulo præmonentur, ne errant, aut seductoribus pareant Matth. VII. 15. XXIV. 23. seq. 2. Cor. XI. 3. Gal. III. 1. 1. Joh. IV. 1. Apoc. II. 5. 16. Rom. XI. 21. seqq. XVI. 17. Ubi autem admonitionibus opus est, ibi facilem in errores prolapsum esse, necessarium est. Nec defunt 5.) exempla deficientis Ecclesiæ visibilis totius Israëliticæ in deserto, tempore Mosis, cum populus totus vitulum aureum ab Aarone summo sacerdote fabricatum & erectum cultu idololatrico adorasset Exod. XXXII. tempore Saulis Regis Israëlitarum primi, qui sacerdotes Dei interfecerat, & cuius temporibus arca foderis non fuerat requisita 1. Paralip. XIII. 3. h.e. publicum cultus divini exercitium jacuerat. Temporibus Prophetarum, quibus non Reges duntaxat, & Sacerdotes, sed & ferme universus populus à vera religione ac pietate defecisse memoratur. Esa. I. 3. 9. Jer. V. 1. II. 7. 8. IX. 6. Ezech. XXII. 26. seq. Mich. VII. 2. Sed & sub initium N. T. Ecclesia Judaica usque adeo à vera Religione recesserat, ut Christus cultum ejusdem tanquam frustrarum rejecerit, quod docerent doctrinas, præcepta hominum Matth. XV. 10. Sic tempore Passionis Christi congregabantur Concilia sanguinaria, quorum Præses ipse summus Ecclesiæ Pontifex erat, quæ in ipso fundamento fidei, Articulo de Messia turpiter errabant, ipsum caput Ecclesiæ abnegabant, abjiciebant, atque condemnabant. conf. quoque Act. IV. 5. seq. 11. seq. 18. V. 21. 40. Quod si itaque Ecclesia visibilis V. T. qua suis subinde Doctoribus θεοπνευστοις gaudebat, à prolapso in errores immunis non fuerat, qua fronte & qua securitate sibi eandem absolutam inerrabilitatem in rebus fidei arrogabit Ecclesia visibilis N. T. cum non secus ac illa ad verbum Capitis & sponsi sui sit alligata. Nec est quod 6.) quis objiciat, ab Apostolo Paulo 1. Tim. III. 15. appellari Ecclesiam σύλον ριζῇ εδαφου columnam & firmamentum veritatis: columnam autem veritatis labi non posse; præterea

Esa.

Esai. LXI. 8. promitti fœdus æternum cum Ecclesia. Facilis  
 enim est Responsio: nam  $\sigma\lambda\alpha$  dicitur Ecclesia veritatis, sen-  
 su non Architectonico, quasi ipsa veritatem fulciret, sed for-  
 rensi & politico, quia ex illa decretal*Dei* suspensa sunt:  $\tau\delta\sigma\alpha\omega-$   
 $\mu\alpha$  vero i.e. sacrum depositorum, in quo veritas recondita  
 non inclusione locali, sed cura illibata conservationis conf.  
 Luc. II. 19. Columna passiva, quia est fundamentum à Deo  
 positum non super quod Deus fundatur 2. Tim. II. 19. debiti-  
 tive; non quia Ecclesia id semper sit curatura, sed quod ex  
 officio debeat accurare.  $\sigma\lambda\alpha$   $\tau\eta\tau\delta\sigma\alpha\omega\mu\alpha$  veritatis est Ec-  
 clesia, non  $\vartheta\mu\epsilon\lambda\tau\tau\omega$ , quod soli Christo competit, veritatis  
 non mater aut magistra, sed conservatrix, nuncia & testis  
 conf. B. D. Dannh. Hodom. P. P. I. p. 543. nec illabilis exem-  
 ple Ecclesia Ephesinæ Actor. XX. 29. seq. Apoc. II. 5. &  
 Concilij Ephesini, in quo teste Evagrio L. I. c. 10. approbata  
 est hæresis Eutychiana. Fœdus denique æternum est, sed con-  
 ditionatum; nec hæc æternitas tollit deficibilitatem ad tem-  
 pus. Denique 7.) N. C. Ecclesia manifestos legis divinaꝝ præ-  
 varicatores ad resipiscientiam hortans, audiri debet. Ergo  
 fieri non potest, ut Ecclesia circa fiduci Articulos unquam er-  
 ret, & à vera fide deficiat.

Potuissent quidem, quin & debuissent plura tum de Ex-  
 communicationis Ecclesiastica potestate, praxi & virtute;  
 tum Conciliorum convocatione atque auctoritate subiecti;  
 sed quoniam Dissertationis Academicæ terminos excedere vi-  
 sum non est, ideo hic calamum figimus. Divino Numini  
 sit Gloria, Laus & Honor in sempiterna secula!

A M E N.



99 A 6910



56.

VD 77

Petro

Mc. 68.



### Farbkarte #13



7. b. 6

I. N. J.  
EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
REMISSIONE  
FRATRIS LÆSI AD  
ECCLESIAM PER CHRI-  
STUM FACTA,  
*Matth. XIIIX. n. 17.*  
Cujus  
PENSUM POSTERIUS  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
PRÆSIDI E  
VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo  
atque Excellentissimo  
DN. JOH. REINARTO  
BRECHTIO,  
SS. Theol. Doctore, ejusdem Prof. Publ. Ordinario  
longe Celeberrimo, Ecclesiaste Libero Meritissimo, atque  
p. t. Spectabili Facult. Theol. DECANO,  
DN. Patrono, Fautore ac Præceptore suo omni pietatis  
cultu in aeternum devenerando, colendo,  
PUBLICO Examini subjicit  
M. JOH. GEORG. KALLENBERGIUS,  
Argentoratenfis.  
Die 23. Aprilis A. M. DCC. XVI. Horis locoq; consuetis.  
ARGENTORATI, LITERIS JOHANNIS PASTORIL